





1717.8  
10 DISSERTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA  
*DE*  
**JURE TIGNI**  
**IN CONCURSU**  
**CREDITORUM,**

SIVE  
**Bon dem Rechte der Bau-MATE-**  
**RIALien bey entstandenen CONCURS,**

QVAM  
**NUMINE DIVINO FAVENTE,**  
CONSENSU ET DECRETO  
**AMPLISSIMÆ FACULTATIS**  
**JURIDICÆ,**

IN ILLUSTRI ET PERANTIQUA ELECTORALI  
UNIVERSITATE ERFURTensi,  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA  
RITE CONSEQUENDI,


**IN COLLEGIO JCTORUM MAJORI**  
HORIS CONSVETIS,

DIE III. APRILIS MDCCXVII.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBJICIT

**JOHANN. MICHAEL KLIPSCH, HALL. MAGD.**  
AUTOR ET RESPONDENS.

ERFORDIAE,  
LITERIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPEGR.







Q. D. B. V.

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>R</sup>ALIS JURIDICA.  
DE  
JURE TIGNI IN CONCURSU  
CREDITORUM.

§. I.



Edificiorum & tandem urbium exstruc-  
ctionem à primis statim hujus mundi  
temporibus inolevisse, non solum ex  
ipsis sacrarum literarum paginis con-  
stat, sed etiam quilibet statum mundi  
præsentem sana mentis pensitatione  
inspiciens, facile mecum consentiet. Si-  
quidem postquam homini non est da-  
tum more belluarum subterraneis la-  
tebris delitescere, tempestatumque nimio interdum frigore,  
calore, imbribus, ventis, aliisque adversa facies sub die subin-  
de versari haud permittit, necessitatem ipsam se suaque tam  
contra has, quam etiam ferarum bestiarum, aliorumque  
injurias defendendi, præsidium aliquod tutum & sic adi-  
um exstructionem sualisse, credendum est.

§. 2. Hæc adificiorum habendorum necessitas, quem-  
admodum sese tam in statu extra rempubl. considerato quam  
in ipsa republ. exerit, ita quod hanc attinet, cum ipsius ma-  
xime interfit urbes habere adiiciis locupletatas & à ruinis

A 2 eorum

eorum liberatas, utpote quæ decorem civitatis & ex pulchritudine ædium præsumtam civium magnanimitatem minuunt, ideo sequitur ædificia in illa propter singulorum securitatem exstructa privata, non minus ac ea quæ religionis, commerciorum, defensionis, aliamque ob causam extant publica, sarta ubivis & tecta conservanda ab interituque liberanda esse.

§. 3. Id quod cum sana cuivis dictaret ratio, non est mirandum Imperatorem Justinianum, Legum Romanarum in Corpore Juris Parentem id etiam probe agnovisse, siquidem ut ipse recensitum modo interesse etiam in Republica sua Romana conservaret, & incommoda ex ædium ruinis ei obvenientia omni ratione removeret, ideo non solum Præsidibus Provinciarum aliisque Reipubl. Curatoribus diligentem ædium inspectionem injunxit, utque dominos eorum ad emeliorandas ruinas & deformitates compellant jussit L. 7. ff. de Offic. Presid. L. 8. C. de ædific. priv. L. 40. ff. de damno infect. sed etiam si domini judiciaria autoritate secundum L. cit. 8. moniti, ædes ruinosas negligant easque collabi patientur, neque intra statutum ipsis tempus eas iterum restituant, in negligentia quasi poenam aream fisco vindicatam voluit, vid. L. 4. C. de jure Reipubl. Et Brunnemann. ad eand.

§. 4. Quia vero sèpius accidit, ut possessores ædium ruinosarum fortunæ injurya pressi, mediis reparandi deficiendique destituantur, paupertasque non est de genere malorum, quæ faciunt aliquem poenæ vel privatione rei sua dignum, ideo etiam Imperator ut paupertati succurrat, & ex neglecta ædium ruinosarum refectione metuenda Reipubl. damna remedeatur, vario legificationis genere usus, non solum (1) egenis vetustorum ædificiorum possessoribus expensas ad refactionem & restaurationem necessarias ex ærario publico præbendas & è locatione reipublicæ restituendas voluit. vid. Brunnem, ad tit. Cod. de ædific. privatis n. 8. (2) animum donandi alias non præsumendum L. 25. ff. de probat, in datio-  
ne

ne ad ædificandum pauperi, præsumit. *L. 13. S. fin. ff. de donat, inter vir. & uxorm.* (3) donationem ultra 500 solidos absque judiciali insinuatione validam esse fancivit. *L. 36. S. 2. Cod. de donat.* (4) Donationem inter conjuges ad parem causam approbat *L. 14. ff. de donat, inter vir. & uxor.* sed etiam (5) ut plures sint, qui in refectionem credant, credito, ad ædificia ruinosa reficienda & restituenda dato, tacitam hypothecam cum prælatione ante alios credidores, expresam licet & antiquorem hypothecam habentes, concessit, vid. *Leges §. 6. alleg. & Gottofred. ad L. 1. ff. in quibus causis pign. tac. contrah.*

**S. 5.** Quamvis autem ex his aliisque legibus, inter quas *L. 3. C. locati. conducti.* referenda, appareat, Imperatorem ruinosarum ædium refectionibus restitutionibusque propter publicum, qui in iis vertitur favorem, quoquo modo prospicere, atque memoratam modo cum prælatione vallatam hypothecam concedendo, id simul efficere voluisse, ut alii quasi allicerentur eo facilius sua ad refectiones credere, non tamen desunt, qui mihi quidem menti Imperatoriaæ injuriam facturi visi, generalem ipsius, utilitatem publ. hac in parte promovendi intentionem, angustioribus cancellis includunt, dicendo: Leges tacitum pignus & prælationem in hac materia concedentes de casu pecuniae numeratae ad refectionem datae, solummodo accipiendas, neutquam vero ad casum præsentis dissertationis extentendas esse. Quam strix etiam nimis Legum interpretationem, cum mihi eandem absolute vita academicæ curriculo industriam negotiis forensibus applicanti in terminis experiri licuerit, ego vero eam ex genuinis interpretandi fontibus haustram, non censuerim, imo saluti publicæ quadantenus nocivam deprehenderim dum ita deterrentur, qui magis alliciendi credidores refectionesque impediuntur, ideo singularem ab eo tempore sensi voluptatem si quando mihi specimen quoddam publicum studiorum meorum edere necessum sit, hac de re

A 3

pleniū

pleniū edifferēdi, qua propter etiam jam pridem destinata nunc duco in effectum, & his ingressus loco positis, visurus sum, numne meliori ratione & ii qui tignum ad refectio- nem ædium credunt, sub legibus tacitum pignus cum prælatione concedentibus §. seq. 6. allegatis, veniant, parique cum ceteris jure & privilegio gaudeant.

§. 6. Hoc facturus haud abs re esse mihi persuadeo Leges de taciti pignoris & prælationis jure eorum, qui ad refectionem crediderunt, agentes, verbis earum ipsis, melioris usus & applicationis causa huc transcribere. Sit ergo in ordine Prima L. 25. ff. de Rebus credit. ubi: *Creditor, qui ob restitutionem adificiorum creditit, in pecuniam, quam crediti privilegium exigendi babebit.* Cui legi L. 1. ff. de cessione bon. ex affe convenit. Secunda L. 52. §. 10. ff. pro Socio: *Socius, qui cessantis cessantiumque portiones insula restituerit, quamvis aut sortem cum usuris intra quatuor menses postquam opus refectum erit, recipere potest exigendum que Privilegio utetur &c.* Tertia. L. 1. ff. in quibus causis pignus tacite contrah. Senatus consulto quod sub Marco Imperatore factum est pignus insulae creditor i datum ei, qui pecuniam ob restitutionem adificii exsituendi mutuam dedit, ad eum quoque pertinebit, qui domino mandante nummos subministravit. Quarta L. 5. & 6. ff. qui potior. in pign. Interdum posterior potior est priori, uputa, si in rem istam conservandam impensum est, quod sequens credidit, veluti si nave fuit obligata & ego ad armandam eam rem vel reficiendam credidero. quibus haec tenus adductis Legibus L. 24. §. 1. 26. & 24. de R. A. 7. P. cum novella 97. cap. 3. opitulantur & convenient.

§. 7. Specialem uniuscujusvis modo recensitæ legis à Gothofredo aliisque ad eas commentantibus jamjam factam instituere interpretationem, non immerito hic superfedeo, omnes enim de jure taciti pignoris & prælationis eorum, qui ad refactionem vel restitutionem ædium crediderunt, unanimiter agunt. Quid vero tacitum pignus? quid prælatio? & quid ad refactionem vel restitutionem ædium credere sit? tam dupondiū constat quam etiam naturalis verbo.

verborum sensus cuivis indigitat, ut propterea in materia  
hac præctica juris Theoriā p̄̄supponente, circa terminos  
vulgares in explicando longiorem esse, idem mihi ac so-  
li lumen accendere aut aquam mari infundere, videatur, &  
ego inanem ejusmodi subterfugiens laborem, necessaria tan-  
tum & utilia tangendo, melius abstineam.

S. 8. Leges autem quod ipsas attinet, ex iis inter omnes  
generaliter constat, eos, qui ad refectionem aut restitutio-  
nem ædium crediderunt, illis, qui anteriorem & expressam  
hypothecam habent, in concurso creditorum anteferendos  
esse, & quare tam insigni gaudent prærogativa, omnes  
facile agnoscunt, tam publicam quam privatam aliorum  
utilitatem Imperatorem ad eam concedendam permovisse.  
Hila enim uti eandem §§. prioribus indigitavimus, ita quod  
hanc attinet ea se exinde commendat, dum per creditum ad  
refectionem melior fit totius pignoris causa, L. 6. ff. *qui poti-  
or. in pign.*, utpote quod vel plane periisset vel magis deterio-  
ratum fuisset, si alter non credidisset, ut propterea creden-  
dum sit, æquitatem ipsam Imperatori suaſſe, iis tacito pi-  
gnore & prælatonis jure prospicere, qui per credita sua do-  
mum alii jam oppignoratum sed ruinofam, & sic pignoris  
comunem causam in publicam & privatam utilitatem melio-  
rem reddere haud dubitaverunt, siquidem major semper  
debet esse remuneratio quo majus alicujus meritum existit,  
id quod cum & in creditibus ad refectionem ædium appa-  
reat, ante alios, proprium solummodo utrarum lucratione  
interesse curantes, tanto favore merito digni sunt, utpote  
qui de injuria, quod querantur, non habent, quia si pigno-  
ris causa melior per refectionem reddita non esset, tanti et-  
iam pignus venditum non valuisset, imo si quid præjudicij  
eorum occurrat, publica tamen simili accedens utilitas pri-  
vata semper præponenda aut. Res. que Cod. Comunia de legat.  
credentibus ad refectionem favendum esse dicitat.

S. 9. Haec & in antecedentibus allata rationes etiam si in  
casu

casu tigni ad refectionem axdium dati obtineant, & eapropter quivis verborum inanis captationis osor, ex identitate rationum ad identitatem decisionis genuina interpretationis lege hoc jubente, par privilegium absque difficultate concedet, non tamen, uti jam dictum, defunt, qui libidinoso legulejorum more corticem verborum rodentes, pecuniam solummodo numeratam non vero materiam ipsam ad refectionem datam privilegio donatam esse, bona vel mala fide ex his rationibus venditant. Primo dicunt: casum hunc posteriorem, qui est praesentis dissertationis, verbis specificis à legibus non esse expressum, sed Imperatorem (2) ei tacitam hypothecam cum prælationis jure concessisse, qui, (4) qui pecuniam creditit: *leg. 25. ff. de R. C.* (b) pecuniam mutuam dedit *L. 1. ff. in quibus caus. pign. tac. contr.* (c) qui nummos subministravit *L. 1. eod.* & sic (3) quia tacitorum pignorum jura sine expressa lege non statuenda, stricte interpretanda *Siryk. U. M. P. L. 20. tit. 2. §. 4.* ibique alleg. *Carpov. P. 2. C. 24. d. 15. & 16.* necad casum à lege non expressum consimilem ne quidem ob rationis paritatem extendenda, privilegia quoque (4) quale hic est prælationis ad tenorem concessionis præcise adstringenda *arg. L. 14. ff. de LL.* Ideo etiam neque tacitam hypothecam neque prælationis privilegium in casu praesenti meo, approbandum esse concludunt.

S. 10. Verum hæc omnia quam verosimilia aliis ea pro defendenda hac sententia, meæ contraria, videantur, nemo tamen accuratius omnia pensans, & à dissentendi pruritu non minus ac intellectus imbecillitate liberatus, haud videbit, applicationem eorum ad casum praesentis dissertationis non nisi reluctance ratione fieri posse, eamque non genuinæ legum interpretationi, sed verborum solummodo legulejistica captationi, si fiat, adscribendam esse. Quia vero jus civile secundum *L. penult. ff. ad exhibend. calumniari non licet*, neque verba captare permisum, sed qua mente quid dictum animadvertere convenit, vid. *L. 7. Cod. de insit.* & *substitut. L. 3. Cod. de liberis præteri-*

IN CONCURSU CREDITORUM.

9

*preteritis*, ideo & ego, mente & ratione legum solidius inspe-  
ctis, justo & quo magis consentaneum esse profiteor, re-  
fectionis privilegium in casu meo, asseverare. Firmissimum  
enim veritatis & justitiae est argumentum ab identitate ratio-  
nis ad identitatem decisionis desuntum L. 32. ff. ad L. Aquil.  
L. 7. C. de revocand. donatio vid. Barboſa Locuplet. L. 16. c. 5.  
ax. 13. & casus sub ratione legis comprehensus pro ipso legis  
casu habendus est. Rosenthal. de feudis. c. 1. Concl. 15. n. 16. &  
seq. & c. 12. concl. 19. n. 19. Ratio enim legis, anima spiritus  
mens & medulla ipsius, imo lex ipsa dicitur. arg. L. 17. & 18 ff.  
de legibus Schrader. de Feudis. P. 9. c. 2. n. 9. Everhard in topic.  
legal. argm. a ratione legis n. 2. &c. verba vero cum illa menti  
non vero mens verbis inserviat, ideo si de illa constet, hæc  
in considerationem non veniunt. Gail. L. 2. O. 132. n. 11. ibique  
alleg. L. 3. C. de liber. præter. & L. 5. C. de LL.

§. 11. Multo magis autem adsertio hæc mea, de tacito  
pignore cum prælatione propter rationis identitatem, in casu  
præsentis dissertationis statuendo, fundatur ex eo, quia Im-  
perator in L. 52. §. 10. ff pro socio L. 5. ff. qui potiores in pigni L. 7.  
ff. de Cessione honorum, quibus L. 26. & 34. ff. de R. A. J. P. con-  
cordant, refectionis privilegium generaliter omnibus con-  
cedit, qui vel ipsi insulam restituunt, vel ad conservandum  
& reficiendum quid & quoquo modo crediderunt. Ex qui-  
bus legibus numero sane eas, quæ pecunia mentionem faci-  
unt, vincentibus, cum in iis neque de pecunia, neque de  
nummis creditis, quid inveniatur, sed sub objecto crediti in  
illis per pronomen *Tò Quod*, expresso, imo in plurimis plane  
omisso, & in virtute verborum: *Restituere & credere*: posito,  
vid. L. 52. §. 10. L. 5. & L. 1. hoc s. cit. omnis res ad refactionem  
data, veniat, sic dico, ex his legibus constat, Imperatorem  
nullam crediti speciem, sed potius causam, in quam creditum  
est, favore dignam, in concedendo privilegio, suppo-  
luisse arg. L. 32. ff. de R. A. J. P. quam sententiam Wissembach.  
ad ff. disp. 40. sb. 15. Beuüber. de jure prelat. creditor, L. 1. cap. 21.

B

Chem-

*Chemnitius in Dissertatione Inaugurali de jure pralat. cred. Thes. 183.*  
ita mecum approbat.

§. 12. Abstineo autem, pluribus eandem hic corroborare rationibus, & cum contraria juxta se posita semper magis eluescere dicantur, ideo quæ adhuc desiderari possunt defensionis meæ momenta, ad elisionem argumentorum adversantium, reservo. Converto me proinde ad *argumentum*, in ordine §. hujus dissertationis 9. indigitato, *primum*, scilicet, casum præsentem meum specifice in legibus non esse expressum, & sic ei arg. L. 14. ff. de LL. tacitam hypothecam, haud attribui posse. Sed dubium hoc, uti antecedens ipsius frustra, & absque juris assensu, effingitur, ita consequentiam exclusionis eorum, qui tignum crediderunt, à prælationis privilegio, producere nequit. Longior propterea non ero in redemonstrando: verba specifica in materia hac non requiri, cum adversarii affirmativam suam vix atque ne vix quidem, efficient, & quia §§. *præc.* 11. & 12. jamjam deduxi, quæ vicem hujus subire possunt, hoc tantummodo addo: casum specialem, qui in materia tacitarum hypothecarum, ex Lege, & scilicet specialibus ejus verbis, præsupponendus, in casu meo præfenti haud desicere, quia uti §. 11. evici, casus dati pignoris taciti & prælationis est ille, si quis ad resciendas ædes ruinas credidit, qui cum, quod objectum ejus attinet, generalis sit, & certum finem respiciat, generalis autem dispositio omnes species comprehendat, idemque sit, ac si singulæ species essent expressæ arg. L. 79. ff. de Legat. 3. & L. 4. Cod. de pref. 30. ann. ideo obstatuum hoc vel quasi sententiam meam neutiquam infringit, sed non minus ac quæ adhuc removenda restant, correctioni, L. penult. ff. ad exhibendum subjiciendum est.

§. 13. Quibus non obstat „argumentum secundum: scilicet, Imperatorem in L. 25. ff. de R. C. & L. 1. ff. in quibus causis pign. tac. contrab. iis prospexit, qui pecuniam rediderunt, aut nummos sub ministrarunt, & sic, quod in aliis Legibus generaliter

IN CONCURSU CREDITORUM.

ii

raliter dispositus, per has specifice declarasse, & restrinxisse. Nam licet antecedens ita sit, consequens tamen optima ratione negatur, siquidem si de verbis philosophandum, etiam in his verbis: pecuniam credere, aut mutuam dare: generalis dispositio latitat, dum (1) pecunia simpliciter posita, omnes res patrimoniales, & sic tignum etiam comprehendit. v. L. 5. 178. & 222, ff. de V. S. (2) Verbum: credere, pecuniam numeratam præcise non supponit arg. L. 11. ff. eodem (3) adjectivum: mutua, pariter hac virtute destituitur, ut pecunia verbo adhærens, nummos ubi vis denotet, nihil aliud enim in naturali sua significatione habet, quam rem ex mea tuam factam, uti ex princip. Institut. tit. Quibus modis re covinabitur constat, quare (4) ex compositione generallium horum verborum, v. gr. pecuniam credere & pecuniam mutuam dare, generalitas eorum non amittitur, nec præcise semper & apodictive contractus mutui *ut' i<sup>co</sup>z<sup>o</sup>n*, ita dictus venit, nisi substrata materia aliud suadeat, non in priori, utpote qua phrasis Romanis eadem est, ac nobis in Germanicis, d<sup>as</sup> Seinige verboren / neque in posteriori, quia sub pecunia mutua omnis res mea, alterius facta vi locorum, allegatorum, commode potest intelligi.

§. 14. Imo, quicquid sit, & posito Imperatorem in L. 25. ff. de R. C. & L. 1. ff. in quibus caus pign. tac. contr. de pecunia numerata, specifice loqui, non tamen exinde sequitur, eum formam privilegii, ob refectionem concessi, in datione pecunia numerata, posuisse, & sic illos, qui tignum credunt, ab eo excludendos voluisse. Nullibi enim per verba taxativa, aut exclusiva, sed tantum enunciativa & exemplificativa, ejus mentionem facit, vid. Brunnen, ad. L. 38. §. 3. ff. de Legat. 3. & Barbosa Locuplet. L. 6. c. 20. ax. 8. & sic ad accidentalia tantum in refectionis privilegio referenda, quia non qualis, sed quatenus ad ades reficiendas data & versa, prærogativa donata est. Ex quibus sequitur, formam privilegii ex causa sua formandam, & sic eam esse, si quis ad refectionem vel restitutio-

stitutionem, quid credidit, versio inde secura sit, & adhuc duret. *v. Richter de Privileg creditor. c. 3. Sct. 3. n. 10.* Quia ergo alia res, veluti tignum, pariter ad refectionem dari, vertique possunt, merito quoque pari jure censendæ sunt. *arg. dict. L. 32. ff. de R. A. J. P. L. 13. ff. de LL. L. 32. ff. ad L. Aquit.*

*§. 15.* Converto me ad dubium, in ordine \$phi 9. *tertium*, ipseque concedo, *tacitas hypothecas absque expressa lege non statuendas esse.* Legalia enim, five ipso jure citra hominis de iis factam conventionem, introducta pignora dicuntur, *v. Stryku II. M. P. lib. 20. t. 2. §. 4.* & sic ab homine legislatoria potestate destituto, effungi non possunt. *Brunnem. in Proc. concurs. cred. c. 5. §. 52. ibique Stryk.* Quod si vero lex, quædam adsit, & de extensione vel restrictione ejus ad casum tantummodo quæstio fit, tunc prudentiam adhibendam esse censeo, ne judaicam verborum captationem admittendo, absurdis conclusionibus infra notandis, ansam suppeditemus, & sic cortice verborum decepti, legalem hypothecam, cui ex mente legislatoris competit, denegando, Charybdin evitatur, in Scylla periclitemur. Ne itaque tale, quideveniat, ideo summe necessarium est, inspicere veram genuinam ipsifissimamque rationem, qua legislatorem ad tacitam hypothecam concedendam impulsit, quia sine ratione nullum jus neque tacita hypotheca introducta, & ubi, hæc ipsa L. ratio, non vero par tantum vel consimilis adest, ibi quoq; in materia tacitorum pignorum eandem decisionem faciendam esse. *cum Bergero in Enarratio. L. X. ff. de jure fisci. §. 38.* arbitror. Præprioris cum nulla sere in jure nostro, quantumvis per se odiosa, reperiatur materia, in qua argumentum ab identitate rationis ad identitatem decisionis desumptum, non obtineat. Exemplo si materia exheredationis, in qua licet Imperator per *Novell. 115. c. 3.* certas ac definitas exheredandi denominaverit causas, præterque eas nullas alias valere voluerit, ex ore tamen Doctorum communi, causæ licet in *d. Nov.* verbis non expressæ, si ejusdem cum expressis naturæ sint, in iisque una eademque

eademque ratio , licet æquipollens appareat , admittuntur . Idque sane illæsa Imperatoris mente fieri credendum , quia & in pœnibus & odiosis , si eadem ipsa ratio in casu non expresso adfit , extensio juste fit . arg . L . 32 ff . ad L . æquit . 55 L . 7 . C . de revocandis donat . & sic non tam lex extendi , quam potius proprius Legis intellus , applicari dicitur . L . 6 . S . 1 . ff . de V . S . vid . Hopp . ad Institut . tit . de exhereditat . liber . § . 5 . Stryk . Tract . de Cau tel . Testam . c . 19 . § . 22 . Quo magis ergo in casu meo præsenti propter eandem Legum rationem , eadem quoque decisio obtinere debet , licet leges , uti § . 11 . clare demonstravi , casum ipsum satis exprimentes , deficerent , cum non tam inter odiosa , quam potius , & quidem primario , bono publico favorabilia , referendus sit . vid . L . 13 . ff . de LL .

§ . 16 . Omitto plura huc allegare exempla , in quibus non obstante eorum stricte alias facienda interpretatione , extensio ad non expressa , permittitur , & jam absurdâ illa demonstratur eo , quæ inde sequuntur , si prætergressa legis tacitam hypothecam concedentis ratione , cum verbis judicetur . Sic constat 1.) ex L . 7 . ff . qui potior . in pignore . pupillis in rebus , quæ nummis eorum à tertio comparata sunt , tacitam hypothecem cemptere , & 2.) si tutor ipse sibi res , quasdam pupillari pecunia acquisiverit ipsum rei emtæ dominium pupillis , dari . vid . Carpz . P . 1 . C . 28 . def . 109 . Quando ergo in his casibus nulla extensio admittenda , sequitur : neque in priori tacitam hypothecam , neque in posteriori dominium pupillis attribuendum esse , si alii pupillaribus rebus mediante contractu permutationis tertius & tutor sibi res , quasdam acquisiverunt . Quæ decisio , si propter rariones § . 9 . al . legatas , subsistat , ad plures alios his conformes hypothecarum tacitarum casus , & sic etiam ad hunc extendenda esset , si quis debitori pecuniam ad refectionem ædium suarum experti , aurum vel argentum non signatum , loco pecunia subministrasset .

§. 17. Verum gravior & clarior decisionis ejusmodi esset absurditas , quam ut ullo modo justificari possit. Nemo enim non videt in prioribus duobus casibus pupillorum favorem , propter misericordiam eorum conditionem , quæ eos rebus suis praefesse impedit , in causa fuisse , quare imperator iis de securitate & conservatione bonorum suorum prospicere voluerit , Struv. Sytag. J. C exer. 26. th. 14. & 15. & ex hac tenus allegatis rationibus appareat , quæ in causa fuerint tacita cum prælatione hypothecæ iis , qui ad refectionem crediderunt , concessæ , quapropter de quovis ingenuæ frontis legum & jurium interpretatore , verborum captationes suasu L. 5. C. de LL. aversante , hoc mihi polliceor , eum tam in prioribus duobus casibus tacitam hypothecam & dominium , quam in posteriori refectionis privilegium , ob rationum causarumve , eodem favore cum iis , quos expressos dicunt , dignarum , afferatum & applicaturum esse.

§. 18. Interim autem firma manet regula : Tacita pignora ex Lege strictè interpretanda nec ad causas à lege non expressos , h. e. neque verbis , neque ipsissima ejus ratione compressos , sed ob rationem genuinæ parem , consimiles tantum , non extendenda esse : Probe ergo , ne quis hic hallucinetur , eadem ratio & par ratio , & sic ex eadem ratione proveniens idem , ex pari vero consimilis , oriundus casus , distingui , non vero confundi debent . Par enim ratio non est eadem ipsa legis ratio , & inde existens casus , non est legis ipsius , sed tantum consimilis casus , par enim & simile non sunt idem ipsum , cui paria & similia sunt , & sic etiam , cum in casu simili & pari deficiat identitas rationis & causæ , quarum propter lex hypothecam tacitam concedens lata est , applicatio quoque legis ad eundem neutiquam fieri poterit arg. L. 14. ff. de LL. id , quod exemplis jam demonstrandum est . Sic constat 1.) pupillis & minoribus dari tacitam hypothecam in bonis tutorum & curatorum . L. 19. S. 1. ff. de R. A. J. P. L. 42. ff. de Administr. Tutor. 2.) etiam uxoribus , in bonis maritorum propter

propter dotes & paraphernalium securitatem, L. un. Cod. de R. II. A. & Nov. 97. c. 3. non tamen hypotheca tacita (1) statuenda in bonis curatorum, quæ fœminis dantur ad litem. Carpz. L. 2. C. 24. d. 15. neque (2) in bonis sponsi, si sponsa ipsius administrationi bona sua commiserit, vel dotem prænumeraverit. Lauterb. Comp. J. L. 20. t. 2. p. m. 406. princ. Carpz. L. 2. C. 24. d. 5. licet in his posterioribus casibus, eadem fere, quæ in prioribus, militare rationes videantur, siquidem deficit partim pupillaris ætatis favor, partim dotium & paraphernalium conservandarum ratio, cum quod ultimum attinet, ubi nullæ adhuc dum sunt nuptiæ, dos etiam vera esse nequit arg. §. 12. Inst. de nuptiis & ubi nulla formalis dos, dotis etiam privilegia cessant. v. Carpz. P. 2. C. 24. d. 5.

§. 19. Tandem ad ultimum pervenio adversiorum argumentum quod erat: Privilegia, quale hic est prælationis, strictissime interpretanda, & ad casum non expressum non extendenda esse arg. cap. porro s. 7. X. Dc. Privileg. quia quæ contra juris generalis regulam introducta, & alterius præjudicium efficiunt, ad consequentiam trahi non debent. L. 14. ff. de LL. Ad hoc itaque responsurus dico: prælationis privilegium, quod hic cum tacita hypotheca concurrit, inter privilegia juris & sic leges ipsas referendum, de eoque non minus ac aliis juris capitulis, ex mente concedentis judicandum esse. arg. L. 13. ff. de LL. & cap. Quanto. 26. ubi Glossa verbo sola. X. de privileg. adeo ut si de mente constet à verbis plane recidi, & quid concedens senserit, tuto quis sequi possit. (2) Si tertii præjudicium, strictæ interpretationis causa, non adsit, secundum L. 3. ff. de Consit. Princip. benigne potius interpretanda esse. (3) Si publ. utilitas extensionem svadet, & (4) causa æque favorabilis adsit, vel casus (5) contineatur sub lato verborum sensu, aut generali privilegii tenore vel (6) si extensio non fiat absurditas inde sequatur, etiam illa quæ contra juris generalis rationem introducta privilegia, ad consequentiam trahi posse. Brunnem. ad d. L.

14. *ff. de LL.* Qua propter cum generalem privilegii refectionis concessionem, casumque praesentem meum sub ea venire, in antec. §§. demonstraverim, ita, ut nequidem opus sit in extensione ejus à proprietate verborum recedere, (2) tertii præjudicium, hic vel nullum vel effectum solum modo, quoad alios creditores, occurrit, quia si ad refectionem creditum non esset, ædes vel plane periissent, vel invenzione tanti non valuerint &c. & posito præjudicium occurrere, publica tamen utilitas supra dicta (3) extensionem svadet arg. autent. *Res que. C. Comm. de Legat. L. 13 ff de LL.* (4) Tignum ad refectionem datum non minori favore propter causam inquam subministratur, dignum, & tandem (5) sub lato legum sensu venit, argumentaque illud excludentia verborum, à mente Legislatoris abludenti captationi, originem debent, leges cavillandi occasionem subministrant, & absurdas conclusiones, quoad alias materias producunt, non admittendas. *L. 19. ff. ad exhibeād. & L. 5. C. de LL.* ideo ex his in antecedentibus ad nauseam fere ad ductis rationibus, pro refectionis privilegio, in casu præsentis pronunciandum est.

§. 20. Maximum, ut finem controversiarum faciam, ha-  
ctenus pro defendenda sententia mea deductis, adfert mo-  
mentum *L. supra alleg. 52. §. 10. ff. pro socio.* in qua Imperator  
socio socii insulæ partem restituenti, exigendi privilegium  
h. e. tacitam cum prælatione hypothecam, uti imperator  
hoc in *L. 1. ff. in quibus caus. pign. tac. contr. ex L. 24. §. 1. ff.*  
*de R. A. I. P. & Gotbofred. ad L. 5. ff. qui potiores in pign.* déclarant,  
concessit. Si quidem socius qui restitutionem suscipiendam,  
meditatur, necessum habet ante refectionem sibi acquisi-  
tum, tignum sibi comparare, hoc mediante emtione sibi acquisi-  
tum, tandem in rem vertit, & sic, cum propterea privilegio  
gaudeat, eo non qua creditor pecunia numerata, sed qua  
creditor tigni in ædes consideratus fruitur, ex quo sequitur  
omnes alios tigna, camenta, lapides, & ejus generis alias ad  
refectiones

refectiones adiūtū necessariās rēs credentes, pari privilegio  
afficiendos esse, quia socius non qua socius, sed propter cau-  
sam in quam credidit, prærogativam inter alios creditores  
consequitur.

S. 21. Subsistit hic in decisione affirmativa, secundum jus  
civile Roman, pro iis qui tignum ad refectionem credide-  
runt facienda, paucisque me converto ad jus provinciale  
Magdeb. exinde jam deducturus, parem decisionem appre-  
hendam esse. Sic enim ex hoc jure constat, non solum iis  
qui novas ædes exstruere intendunt, à magistratu loci ma-  
terias necessariās a quo pretio subministranda, sed etiam iis  
qui ad ædificandas, reficiendas, & conservandas ædes credi-  
derunt, tacitam hypothecam cum prælatione concedendam  
esse, vid. c. 13. §. 1. Ord. Polic. Magdeb. & c. 49. §. 36. Ord. Proc.  
Magdeb. ubi: Was zuermeistl. Bau besser und Erhaltung ei-  
nes Hauses oder andern Guths ausgeliehen also verschrieben und  
nützlich angewendet ist / das wird aus dem gebaueten und ver-  
besserten Gute wegen des Zu-Recht hierauf gesetzten Privilegiū  
und hypothecen, auch vor denjenigen Creditoren so ältere und  
ausdrückliche Verpfändung haben/bezahlt und abgetragen.

S. 22. Convenientiam juris hujus provincialis cum  
Romano, non opus est est, pluribus demonstrare, siquidem  
ea cuivis primo statim intutu oculos incurrit, an vero sub  
hujus modo allegati ſphi ſensu, caſus praefentis diſſertationis  
veniat? ex caſu hic ſubjiciendo, declaratum dabitur. De-  
bitor, quidam ſe partim pecuniam, partim ligna, partim  
frumenta, ad diūtū ſuarum exſtruptionem accepisse, di-  
versis creditoribus, in Praefectura Giebichenſteinensi confeſ-  
ſus erat, qui cum bonis laberetur, & creditorum ſuper bona  
ipſius concursus exiſteret, tam Creditrix A. M. R. qua pecu-  
niā numeratam, quam parens meus beate defunctus, qui  
ligna, & G. K. qui frumenta, dederat, vi dieti §. 36. præla-  
tionem ante alios urgebant. Quia vero maſſa bonorum ne  
hiſ tribus quidem ſufficiens erat, ideo creditrix A. M. R. ex  
C sua

sua opinione hic primum tenens locum, per verba d. §. Quis geliehen und verschrieben / pecuniam numeratam & judicialis hypothecæ constitutionem desuper factam arg. §. i. c. 49. Ord. Pol. Magdeb. evincere studebat, & sic tam parentem meum, quam G. K. à privilegio desiderato, excludere annitebatur. Falsam hanc & cum interpretandi legibus non subsistentem juris provincialis explicationem esse, ipsi regerebatur, & quidem i.) quia verba: Was ausgeliehen / usu loquendi vernaculo, id testante sub generali significatu veniunt de mutuo que non minus, quam commodato, locato aliisque contractibus, & in latiori sensu, loco verbi: Bergen sumtum, de venditione fide habita facta commodissime intelligi possunt, vid. Webner. Obs. Præf. de bac voc. quapropter cum glorioissimæ memoriar. Legislator in faniendo d. spho 36. verbo multiplicis generalisque sensus fuerit usus, de eoque pariter ac imperatore Justiniano id presumendum sit, quod causam, quare privilegium concedendum, non vero modum causæ respexerit, præprimis dum generaliter ita loquitur: Was ausgeliehen / non vero das Geld / welches ausgeliehen &c. id eo in legem committere haud dicendi, qui mente & causa inspecta omnes potius five nummos, five tignum credentes admittunt, quam de verbis legum inaniter philosophando, periculo serenissimæ mentis inter vertenda se subjiciunt, arg. L. 7. C. de Inflit. & Substit. & L. 3. de Eiber. præteritis. Lex enim generalis generaliter interpretanda venit. L. i. §. i. ff. de legat. pref. contra tabul. & L. 8. de Public. act. ibique Gotbofrid. quibus, qua supra. §. 10. & 11. dicta, cum sequentibus opitulantur.

S. 24. Quod vero alterum dubium à verbis: also verschrieben / ortum, attinet, ex quibus & §. i. c. 49. Ord. Pol. Magdeb. judicialis hypothecæ constitutio effingebatur, hoc sane obtorto, ut ita loquar, collo, in hunc sensum trahitur. Quemadmodum enim jura statutaria ex communi declaranda Garpz. P. 3. C. 20. d. 10. Gail. L. 1. O. 10. n. 8. cum quo jus Provinc.

vinc. Magdeburg. in Praesatione ad Ord. Polit. consentit, jura autem communia id pro forma privilegii refectionis requirunt, ut (1.) expresse & nominatum in refactionem creditum & (2.) versum sit. Beutber d. Tr. L. 1. c. 20. Richter de Privilegio c. 3. S. 3. n. 10. Carpz. P. I. C. 28. d. 106. Ita ex his, verba illa: also verschrieben und nüglich angewendet/ merito interpretanda sunt. Cui non obstat verbum: verschrieben/ scripturam involvere, & sic cum Ordinat. Polit. Magdeb. c. 49. S. 7. nullam hypothecam extrajudiciale agnoscit, ideo dicendum videri, per hunc §. tanquam in promulgatione posteriorem spho 36. c. 49. Ord. Proc. derogatum, aut adminimum quoad punctum hypothecæ declaratum, & sic judicialis hypothecæ confirmationem requisitam esse; siquidem 1.) Legislator vel loquitur de casu instrumenti super credito ad refactionem ex pacto confiendi, & sic clausulam eam, quod in refactionem creditum sit, exprimendam commendat, vel impropriæ plane, utpote quod credendum, verbo: verschrieben / pro omni enixa mentis declaratione, in refactionem creditum esse uitur, in hac enim non vero scriptura forma ponenda Merv. P. 5. D. 85. n. 4. & 5. & etiam nulla ratio dari potest, quare Serenissimus Legislator scripturam præcise requisiverit; qua propter cum de provida ejus mente refactionis favorem quoquo modo promovere cupiente, ex dictis §. 21. aliisque specialibus constitutionibus, quashuc allegare, non est necesse, abunde constet, in re bono publico favorabili & aqua, verba impro priando, nemo in legem impingit. Gail. L. 2. O. 132. n. 10. & arg. L. 3. C. de liber. præterit. 2.) Si quando dict. §. 1. c. 49. Ord. Polit. Magdeb. crude ita accipiens esset, omnes sane hypothecæ tacitæ exularent in Ducatu Magdeb. Ast vero cum tacitæ hypothecæ §. 52. & seq. c. 49. Ord. Proc. Magdeb. expresse approbatæ, imo potius extensa, quam restrictæ, aut sublatæ sint, totaque die in usu esse, iis, qui in foris versantur, constet, ideo etiam, quemvis eandem tecum hic statuere judicialemque ejus confirmationem

tionem abnegare, certus sum. Licit enim §. 1. c. 49. O. Pol. M. generalis sit non tamen, nisi de casibus nullo à legibus approbato speciali favore dignis loquitur, neque iis, quæ speciali lege introducta, secundum nota principia derogare potest. arg c 3. X. de Rescript. & c. 2. de dolo & contumac.

§. 25. Sed relinquam ejusmodi tunc temporis sponte erratos errores, & qualiter sententia post conclusionem in causa auditæ sit, jam allegandum est, quæ præter omnem omnino opinionem sequentem in modum sonabat: Endlich hat zwar C. K. weil seine Forderung von dem Bau-Holz / so zu des Schuldner's Hause gekommen / herrühret / die Präferenz urgiren wollen / und nebst dem jure tacita hypothecæ, ex personali privilegio, einen Vorzug prætendiret; Nachdem aber das Privilegium, welches denen / so ad ædificationem ædium erwas darleihen / zustehet / ad alias casus consimiles, und dergestalt sich auch nicht ad præsentem extendiren lässt. Rivinus ad Ord Proc. Sax. tit. 43. En. 40. So hat er nicht anders als inter personaliter privilegiatos gesetzet werden können.

§. 26. Hanc decidiendi rationem, ex crassa de non extrendendis tacitis hypothecis, regulæ approbatione, prænientem, & ad casum præsentem, uti §§. præcedent. clarius demonstravi, plane inapplicabilem, valde suspicabar, de meliori proinde juris atque justitiæ administratione non desperans, leuterationem interponi curabam, quæ tandem actis ad inclytiss. Facultatem Jurid. Hallensem transmissis anno 1712. die 31. Octobr. votis conformem sententiam producerebat: Numehr ex actis so viel zu befinden / daß Leuternant wegen seiner Forderung à 48. Rthlr. 21. ge. für hergegebenes Bau-Holz zugleich mit denen/ welche in der 2ten Classe aus dem durch aufgeführt Gebude meliorirten fundo ihre Bezahlung erlangen / pro rata ohne Unterschied der Zeit mit zu bestriedigen. V. R. W. Ratio decid. Weilen in Gahmannischer Concurs-Sache Christian Klipsch dem Debitori zu Erbauung seines Hauses einiges à 48. Rthlr. 21. ge. angeschlagenes Holz credidi-  
ret/

ret / und denn solcher Materialien halber / ohne Constituirung einer austrücklichen Hypothec , das daraus erbaute Haus verbunden ist / so ist nicht anders / als geschehen / zu erkennen gewesen . Ex qua sententia rationum decidendi ambagibus quidem destituta , sed tamen vera , & genuinis interpretandi regulis suffulta , apparet , quæ hactenus à me dicta sunt , virtorum eruditio nis splendore fulgentium approbationi , convenientia esse .

S. 27. Acquiesco jam quoad casum hunc , hactenus de jure civili Romano & provinciali Magdeb. , ventilatum , & quia in casu §. 22. allato , mentionem feci , de creditore , qui se frumenta , ad ædes debitoris communis perficiendas , dedisse , allegabat , & propterea prælationem cum tacita hypotheca , urgebat , ideo hac occasione inspicere lubet , numne creditores , qui debitori communi pecuniam ad refæctionem , vel restitutionem ædium suarum experti , alias res , neque sub nomine tigni , neque sub pecunia numerata venientes , subministrant , pari privilegio digni sint ? Responsionem hic statim substituo affirmativam , quando scilicet secundum casum in quæstione præpositum , res ad ædes ædificandas expresse datae , refæctio , inde secuta , & etiam versio adhuc duret . Et quidem hoc facio rationum identitate hoc mihi suadente , & L. 22. ff. de R. A. J. P. præcipiente , jura , licet singularia , tamen ex causa sua æstimanda esse . Qui vero contrariam hac in parte apprehendunt sententiam , illidum , pecuniam numeratam hic desicere , clamant , meminerint , etiam in casu , quando debitori pecuniam mutuam experti , loco pecuniarum , species æstimata , datur , mutuan pecuniam datam esse , a legibus præsumi , sive potius fingi , vid. L. 11. ff. de R. C. & L. 8. C. si certum petat , & sic , si pecunia solum in materia hac , quod tamen negatur , adesse debeat , in præsenti quoque casu , juris hanc fictionem , de qua Gothofred. ad LL. cit. & Brunnem. ad eisdem videatur , admittendam , prælationisque cum tacita hypotheca , privilegium ,

propter publicam, in refectione & exstructione ædium latenter utilitatem, multo magis statuendam esse.

S. 28. Non equidem creditor, cuius mentio in d. §. 22. occurrit, propter frumentum datum, secundum hæc fundamenta in sententia §. 26. alleg. judicabatur, siquidem, cum non ab initio ad perficiendum ædium exstructionem, frumentum credidisset, sed tantummodo ex postfacto, sibi ita à debitore, quasi in hunc finem creditum esset, stipulari curavisset, ideo etiam à Dominis sententioribus merito excludebatur. Quemadmodum enim pro forma requiritur, ut 1.) expresse & nominatim ab initio ad refectionem vel restitucionem, credatur & 2.) utiliter vertatur, vid. Ord. Proc. Magd. c. 94. §. 36. Carpz. L. 1. C. 28. d. 106. adeo si illud ab initio non factum, creditorem nil juvet, licet ex postfacto debitor creditum in ædes utiliter vertat, Mev. P. 5. D. 84. n. 3. Richer. de Privil. creditor. C. 3. S. 3. n. 12. Ita forma hac neglecta privilegium etiam, inde existens, non competit, idque ideo, quia qui simpliciter credit, reipublicæ promovendam utilitatem, non respicit, sed simpliciter credendo, in omnem causam credit, liberoque debitoris arbitrio dispensationem relinquit, qua propter etiam illum favore nullo præ aliis dignum esse, Doctores non immerito arbitrantur. vid. Beuther. de Prelation. Creditor. L. 1. c. 21. p. m. 38. Mev. P. 5. d. 84. Petrus Vanderanus de Priv. cred. c. 8. Carpz. P. 1. C. 28. D. 106.

S. 29. Pervenio nunc ad opifices v. gr. fabros lignarios murarios, aliosque, qui ut interdum fieri solet, vel propriis suis materiis ædificia aliorum ædificant, vel etiam nudam solummodo operam locant. Qui si ex sententiam Rivini supra §. 25. allegati, judicandi forent, omnes sane omnino omnes, sive operam, sive materias credentes, excludendi essent. Verum quod hos, materiam scilicet cum opera credentes, attinet, iis ex fundamentis haec tenus deductis, sine ambagibus parem in concursu prærogativam attribuo, cum res, quas in ædes credunt, sub tigni nomine, veniant.

veniant, vid. L. 1. ff. de tigno juncto & L. 62. ff. de V. S. omnes querationes, quare aliis propter creditum in ædes, leges facvent, in iis pariter appareant. Quod vero eos, qui operam tantum adhibent, attingit, quia etiam 1.) ad refectionem credunt arg. L. 10. & 11. ff. de V. S. 2.) meliorem faciunt pignoris causam, & 3.) quia illi privilegio gaudent, qui pecuniam subministrant, quæ operaris & opificibus pro opera sua solvit, etiam pro his benignam interpretationem statuendam esse arbitror, utpote in quam, docente hoc Wissensbachia adff. diss. 39. §. 17. insine, Papon de Arrestis, aliquie inclinant, & etiam Prætorium Hallense per sententiam in causa Concursus Hanns Otens & creditorum, die 23. Martii 1714. publicatam, inclinavit, creditores sequentem in modum locando: v. gr. Die Gerichts- und andern Gebühren, so dem Concurs zum Besten aufgewendet / 2.) das Publicum alhier 4. Rthlr. Collecten Gelder / 3.) die Königliche Accise 49. Rthlr. 4.) Meister Conrad Magnus 30. Rthlr. vor Schlosser Arbeit im Hause / 5.) Paul Hoffmeisters Erben 20. Rthlr. vor Bau Materialien: quibus tandem hypothecarii expressam hypothecam habentes juncti reperiuntur.

§. 30. Ab his transitum facio ad questionem illam, an privilegium prælationis cum tacita hypotheca concedendum etiam veniat, si quis ad ædificium novum exstruendum pecuniam vel materiam crediderit? & hanc decisurus, distinguendum esse puto, inter ædes novas, quæ in locum earum, quæ vetustatæ collapsæ sunt, substituuntur, & eas, quæ de novo plane in locum, ubi nulla antea existere, ædificantur, Quamvis autem inveniantur, qui veloci nimis impetu in utroque casu negativam apprehendunt, non tamen vereor, & in utroque casu affirmativam hic defendere. Quoad primum casum brevitiati studebo, quia ab ipsis Legibus §. 6. allegatis, satis clare deciditur, iisque tacita hypotheca cum prælatione conceditur, qui ad restitutionem, h. e. ædificii, vetustate vel in cendio collapsi, & consumti, restauracionem,

nem, crediderunt, vid. Meier. Coll. Jur. Arg. L. 20. tit. 2. §. 7. in fine, ibique alleg. & sic contrariam sententiam tenentes lumen in tenebris querere, videntur. Quod vero posteriorem casum attinet, dum momenta ei obstant non spernenda, quorum 1.) quod LL. ut plurimum de refectione & reparatione ædium ruinosarum loquantur, 2.) reipublicæ tantum intersit, ne ruinis deformetur, quæ non metuendæ, ubi nullæ ædes exstant, 3.) quod ratio L. 5. in L. 6. ff. qui potior, in pigno comprehensa, propter quam prælatio concessa, in ædibus novis applicari nequeat, dum ubi pignus non existit, ejus causa melior redditia dici nequeat, & 4.) reipublicæ arg. L. 7. Cod. qui potior in pignore non intersit, in ædes emendas credere, cui par sit, in novarum exstructionem credere, vid. Zæsus ad ff. tit. de privileg. creditorum n. 13. Petrus Vanderanus de Privileg. credit. c. 8. Brunnem. ad L. 1. ff. in quibus causis pign. tac. contrah. ideo pluribus, de his jam edifferendum est.

§. 31. Primam itaque, quod rationem obstantem attinet, negandum quidem non est, Leges ut plurimum refectionis & restitutionis mentionem afferre, verum cum Novella 97. c. 3. legibus hisce omnibus sit posterior, virtuteque derogativa cum declarativa gaudeat, & ei, qui ad ædificium ædificandum credit hypothecam cum prælatione, nulla refectionis aut restitutionis facta mentione concedat, ædificare autem, ædificia nova primario supponat, vid. L. 1. § 9. ff. de mortuo inferendo. ideo vel ex eo solo affirmativa justificari poterit. Præprimis cum ratio secunda non sola, datæ à legibus prærogativæ, causa fuerit, imo nec esse potuerit, quia nudus ædificiorum splendor civitati realem atque veram utilitatem praefat nullam, quare quia ex augmento ædificiorum ciuiumque, commoda publica admodum promoventur, ideo in casu præsenti, verba dictæ Novella propter publicam utilitatem extensionem arg. L. 13. ff. de LL. suadentem, late omnino, & uti ipsa sonant, in intelligenda sunt. Cui non obstat Ratio tercia, siquidem nec hæc, unica sed concurrens interesse

interesse publicū simul, modo dicti privilegii pignorisq; causa fuit, & dum uti dictum, hoc etiam per exstrucionem novarum ædium promovetur, ideo prærogativa in concursu plurium creditorum desiderata, multo magis concedenda veniet, quia hic nullius vertitur præjudicium, quod verti videntur, incasū, si quis ad ædes ruinosas, aliis jam oppignoratur, reficiendas credidit, imo ipsa æquitas, quam in causis, jus separationis vel quasi admittentibus, observamus, de quibus vid. Ludovici *Einleitung zum Concurs proceſſus*, c. 11. dicitat, creditorem ex ædificio, tanquam causa, in quam credidit, solutionem suam præ aliis habere debere. Id quod cum illustrationis tantum gratia afferatur & ratio obſtans quartā, ex L. 7. C qui potior. in pignor. deducta, insulse plane adferatur, siquidem a credito in emtionem prædicti, ad creditum in ædificationem ædificii novi, male concluditur, illo casu plane nullo, hoc vero magno reipublicæ commmodo proveniente, ideo etiam Domini Sententionantes Hallenses, in sententia §. 26. allata, hac & verba §. 36. c. 49. Ord. Proc. Magdeb. Was zuerwelslichen Bau, besser und Erhaltung &c. probe considerantes, in casu ædificii noviter exstructi, prælationis privilegeium & hypothecam, concedere haud dubitaverunt.

S. 32. Quamvis autem quæ de ædificiis hactenus dicta sunt, de navibus quoque & ædificiis in pagis extantibus, optima ratione ex jure Romano defendi possint, siquidem, quæ adferuntur argumenta contrariantia, levia sunt, nulloque legum sufficienti consensu gaudent, utpote quæ ipsis magis contrariari quam suffragari apparent, vid. L. 5. ff. qui potiores in pignore. L. 26. & 24. de R. A. J. P. & Nov. 97. c. 3. Hanc tamen controversiam, non faciam meam, sed mihi sufficiat Gotfredum ad dict. LL. & Mevium. L. 5. Dec. 84. aliosque, affirmativam hac in parte tenere, imo adversarios ipsos, inter quos Zægius. Wiffenb. ad ff. L. 20. §. 17. Brunnera. ad L. 26. & 34. ff. de R. A. J. P. agnosceré, eandem æquiorem, observantia confirmatam, & tandem quicquid sit, de jure provinciali

D

Magde-

Magdeburgico apprehendendam esse; siquidem verba sepius alleg. §. 36. c. 49. Was zuerweislichen Bau besser und Erhaltung eines Hauses oder andern Guts ausgeliehen/ satis abunde testantur sive quis ad ædificia sive alias res v. g. naves, ædificia rurestria &c. crediderit, tacitam hypothecam cum prælatione concedandam esse.

§. 33. Quia vero dictis sibi inferui, ad formam privilegii refectionis requiri, ut quis expresse & nominatum ad refectionem credit, ideo paucis videbo, quid propriæ hæc sibi velint, & an etiam ii qui camenta lapides ligna, & ejus generis alias res ad ædes ædificandas subministrarunt, ad hanc formam obligati sint? Questionem hanc decisurus. nullibi solennem stipulationem ad expressam illam & nominatum faciendam subministracionem, invenio, 2) si stipulatio requisita esset, ea hodie cessaret, & simplex mentis declaratio sufficeret, hæc tandem, cum non minus verbis quam factis fieri posset, ideo sic concludo: Quacunque ratione de mente creditoris constat, eum in specie ad ædificationem domus, materiam subministrare, hoc ad expressam illam & nominatam dationem, quoad verba à DD. magis quam ipsis Legibus ad inventam, sufficit. Inde si debitor infest, subsidia ad perficiendam ædium suarum extreunctionem, petendo, creditorque sive materiam sive nummos, ad petita credit, aut etiam, si opifex, rem credendam ipsi operi ædificando, applicet, hoc omnino sufficiens esse debet, ut quis, formam desideratam adimpleuisse dici possit, licet neuter verbis ore prolati expresserit, se ad ædium ædificationem credere. Siquidem non solum id velle & exprimere dicimus, quod ipsi verbis proferimus, sed etiam quod ab aliis verbis jam prolatum, tacite consentiendo, approbamus. arg. L. 8. C. qui cestament. fac. poss. confer. Stryk. disputat. de civilitate nociva. c. 7. §. 4. & quoties tacito quid ineft præcise & simpliciter, toties parem virtutem habet, quam expressum. Menoch. de Præsumt. L. 4. pref. 40. n. 8. Goibofr. ad L. 3. ff. de R. C. sub lit. l. Stryk. ll. M. P. L. 20. t. 2. §. 1.

S. 34.

§. 34. Dum itaque Spho præcedente dixi, quid per hoc intelligatur, quando DD. in materia præsentí requirunt, ut quis expresse & nominatim ad refectionem vel restitutionem crediderit, & dum huic, tanquam requisitum necessarium secundum, adjiciunt, ut versio inde utiliter facta sit, imo tertio adhuc duret, & tandem probari possit, ideo etiam ordine ita quasi jubente, paucis de his jam videndum est. Versionem crediti ad actes adjudicandas dati, utiliter in rem securam esse, debere, si quis tacita hypotheca cum prælatione in concursu frui velit, non solum ex L. 7. ff. de Exercitor. Actione sed etiam exinde apparet, quia L. 5. ff. qui potior, in pignore, tunc prælationis privilegium concedendum esse innuit, si in rem illam conservandam impensum est, quod sequens creditit, cuius ratio in L. 6. hanc proxime subseciente, invenitur, & ea est, quia salvam & meliorem fecit totius pignoris causam, cui cateræ rationes, ab interesse rei publicæ, per creditum ad adjudicationem promoto, superius deductæ accedunt. Quod si ergo illud, quod quis, licet expresse & nominatim ad actes creditit, sive malitia sive fato quodam in rem impensum non sit, vel impeditione non potuerit, privilegium prælationis etiam nullum inconcursu aliorum creditorum attribuendum venit, quia rationes propter quas concessum cessant, quod enim in rem utiliter non impensum, illud etiam totius pignoris causam salvam & meliorem reddidisse, dici nequit, & sic, dum ita neque publicum, neque privatum interesse, pignoris taciti & prælationis causa, fuit promotum, favor etiam propterea à legibus concessus, merito exulabit, cum causa cessante jus quoque illius occasione introductum ubi vis cessare soleat, vid. Carpz. P. 1. Conf. 28. d. 106. Gail. L. 2. v. 12. n. 4. Struv. S. J. C. Exerc. 44. thes. 49. n. 3. ibique allegata.

§. 35. Non solum autem sufficit, versionem crediti reali semel insecutam esse, sed etiam uti præcedenti aliisque hujus dissertationis Sphis dictum, requiritur, ut ea tempore

D 2

moti

moti concursus, & præstandæ, ex massa bonorum solutio-  
 nis, adhuc duret, siquidem cum propter rem meliorem redi-  
 tam, creditor ejusmodi prærogativa gaudeat, atque prima-  
 ria res ipsa pignoris vinculo obligata sit, imo ea  
 solum, non vero alia debitoris communis bona, eo teneantur,  
 quemadmodum hoc jura locorum plurimorum provincialia,  
 cum Magdeburgico in alleg. c. 49. §. 36. Ord. Proc. per  
 verba: Dasselbe wird aus dem gebaueten und verbesserten Guthe  
 &c. bezahlt und abgetragen: contestantur, ita sequitur, domo,  
 tanquam pignoris specialis objecto perempta, simul quoque  
 jura propterea concessa singularia, perempta esse L. 8 ff. qui-  
 bus mod. pignus vel hypoth. solv. vid. Beuther. de jure Prælat. Lib.  
 I. c. 20. circa finem. Berlich. P. I. Concl. 65. Chemnitius in Dissertat.  
 inaugural. de Jure Prælat. credit. apb. 178. Quibus non obstant  
 L. 10. §. final. & L. 12. ff. §. 2. de Negot. gestis. ex quibus apparet, ad  
 fundandam propter impensas factas, instituendam actionem,  
 sufficiens esse, si ab initio versio utiliter facta, neque eandem  
 impedire, si contrarius vel fecutus eventus, vel res ipsa  
 in quam impensum est plane perierit, cum eventus nemini  
 imputri possit. L. 23. in fin. ff. de R. J. Quamvis enim nonnulli  
 in ea, his legibus forsitan decepti, hærent opinione, hoc  
 tamen sine sufficienti ratione facere censendi, siquidem licet  
 modo dictæ leges in materia negotiorum gestionis, optima  
 ratione valeant, & propter legislatoris voluntatem valere de-  
 beant, vix tamen ad materiam præsentem, valide opponi  
 poterunt. Nam, dum propterea credens ad ædificationem  
 domus alius rei, prærogativa ante alios creditores gaudet,  
 quia per creditum ipsius melior facta totius pignoris causa,  
 secundum L. 6. ff. qui potior. in pignore, factum autem alias non  
 habetur, quod factum non durat, & tandem extincto rei  
 corpore, ipsius hypothecæ, quoque jus, in eo hærens, ex-  
 tinguitur L. cir. 8. ff. quibus modis pign. vel. hypoth. solv. ideo,  
 concreditores ei, qui ad ædificationem ædium debitoris com-  
 munis credidit, neque ex quasi neque ex vero contractu ob-  
 ligati, secundum leges has obstantes, quasi contractum præ-  
 suppo-

supponentes, judicari non poterunt. vid. *Stryk. II. M. P. L. 12.*

*t. I. §. 59. sub num. 5.*

§. 36. Plura ad probandam hanc sententiam à DD. communiter probatam, non adjicio, sed patuis jam videbo, quo modo versio in rem utiliter facta, probari possit & debeat. Multa quidem, modum huncce versionem probandi delineaturo mihi, dicenda forent, si quidem tam ratione testium quam instrumentorum, jumenti, & presumtionum, imo caufarum & personarum, quibus probatio hac facienda, singularia quædam observanda veniunt; verum, cum hac materia in Usu Modern. Pand. B. Dn. Strykii Lib. 12. t. i. §. 61. usque ad finem imo & antecedentibus Sphis satis abunde sit pertractata, ideo aetum agere abstineo. & hoc sollempmodo moneo, scilicet, argumenta etiam artifcialia, ad versionis hujus probationem, pro sufficientibus haberi, si quis testibus aut instrumentis realem veramque versionem verificari nequeat. vid. alleg. Dn. Stryk. §. 59. n. 4. §. antepenult. ibique alleg. DD. Idquod, licet nonnulli tanquam singulare quicquam inspiciant, & rationem hujus ex speciali ædium ædificandarum favore deducant, attamen, cum præsumptiones præprimis prægnantes, arg. L. 74. ff. de legatis 1. sub probatione etiam venire, imo ab onere probandi liberare soleant, vid. Carpz. in Process. Tit. 13. art. 1. n. 16. ideo quæ circa hunc probandi modum, tanquam singularia ex L. 7. ff. de Exercitoria actione venditantur, non tam pro singularibus vere habenda, quam potius ad receptos probandi modos referenda, quia uti modo dictum, in causis difficultem probationem habentibus, inter quas versionis probatio, secundum §. 5. 7. Quod cum eo, qui in alien. potest, refertur, per præsumptiones probationem fieri convenit.

§. 37. Probatione versionis in concursu creditorum secura, cum de concipienda prioritatis five graduationis sententia, judex sollicitus esse debeat, ideo ordine, ita jubente qua ratione & quo loco, ii, qui ad reflectionem, vel ædificationem

cationem , materiam subministrarunt , inter concurrentes creditores locandi sint , jam quidem dicendum esset , verum regulam universalem hac in parte præscribere , uti hoc ipsum propter variantia locorum statuta difficilem sane multiplicis- que laboris exigit operam , ita circumstantiarum ratione , ean- dem subterfugendam , mihi suadente , officio meo me fa- tisfecisse spero , dum , quod primario volui , haec tenus dictis deduxi , scilicet iis , qui tignum ad xdes xdficandas credi- derunt tacitam hypothecam cum prælatione concedendam esse . Quomodo autem alios inter creditores concurrentes , in sua classe locandi illud partim in Novella 97. c. 3. quod jus commune attinet , decisum , partim ex juribus specialibus & observantia cuiusvis loci est addiscendum , partim etiam à Do-ctoribus demonstratum , quare etiam loca , quædam ex iis huc facientia allegando , acquiesco . vid. Brunnemann. de Pro-cess. Concurs. Cred. c. 5. class. II. Ludovici. Einleitung zum Concurs - Process. c. 10. §. 46. ss 47. item Carpzov. P. I. C. 28. d. 176. & Brunnem. cit. loc. §. 72. ubi casus , quidam dubii decisi reperiuntur .

§. 38. Ad finem jam mihi properanti incidit in men- tem quæstio , numne etiam illi , quorum materia sive tignum alieno xdficio , ipsis insciis , fuit in xdficatum , pari cum subministrantibus prærogativa , in concursu gaudeant ? Com- modiori equidem loco supra formari potuisse , verum cum ordo dicendorum ad bene tantum , non vero ipsum es- se pertineat , ideo eandem hic movisse non displicebit . Ob- stare autem , quo minus eandem affirmative decidam , hic videtur , quod creditor , qui tacita hypotheca cum prælatio- ne , propter creditas in xdficationem xdiu materialias , frui intendit , nominatim & expresse ad xdes xdficandas credere debeat , hoc autem in casu præsenti , tanquam prærogativæ formam , deficere , & sic cum illi , qui simpliciter credunt , ob non servatam , hancce formam à privilegio excludantur , hos pariter excludendos esse Stryk. U. M. P. loc. cit. §. 59. num. 1. Carpz.

Carpz. d. P. 1. C. 28. d. 106. Verum alia ratio est in eo, qui sciens rem suam alteri simpliciter credit, & alia in eo cuius tignum ipso ignorante inadificatur, ille rem suam ejusque dominium in accipientem simpliciter transfert, hic vero plane non, sed dominium, quod non transtulit, omnino retinet, & etiam cum quilibet bonus presumatur paterfamilias, ideo de eo pariter presumendum, quod si sciens materiam suam subministrare debuisset, illum hoc, non nisi omni meliori modo & sic etiam in forma translaturum fuisse. Imo cum Imperatore ipso in §. 29. *Institut. de Rerum Decision.* docente constet, in casu praesenti, illum, qui ante materialis dominus fuit, per inadificationem in alienas aedes ipso invito vel ignorantie factam, non definire dominum materialis esse, ideo dicendum, si non propter tacitam hypothecam, cum prælatione, tamen & multo magis propter dominium in materialis à lege reservatum, in concursu creditorum, eum, cuius tignum junctum fuit, præferendum esse.

§. 39. Sed sufficiat hæc, quæ pro concedenda tacita hypotheca & prælationis jure eorum, qui materialis subministrarunt, dicta sunt, ultimo jam paucis adhuc videndum, quibus modis, concessionem, iterum solvatur. Interitum ipsum usus aedificii in quod materia credita fuit, cessantis hujus prærogativæ caufam fieri, ex iis, quæ §pho 35. deducuntur, jam jam appareat; Ne itaque crambem bis coctam apponam, ideo hunc primarium solvendi prætereo modum, cum cæteris, quibus alias pignoris jura solvi, exjure constat. Referri autem, si non ad modos solvendi, ad minimum tamen limitandi hancce prærogativam, solet, si quis majorem summam, quam ad rem & aedificium necessarium fuit, debitori communi, subministraverit, siquidem cum propter utiliter versionem, creditor privilegio quodam gaudeat, utiliter autem neque verti neque impendi potuit, quod summam necessariam excedit, ideo etiam quoad excessum, nullo favore tam singulari, salva juris & æquitatis ratione, frui poterit.

erit. arg. L. 7. ff. de Exercitor. actione. Richter d. Tractat. S. 3.  
c. 3. n. 22. Chemnitii d. Diss. Inaugural. thes. 179.

§. 40. Quamvis autem Chemnitius , hic cum aliis Doctoribus distinguat, an creditor sciens, an vero à debitore deceptus, majorem summam crediderit, attamen & quidem valde dubito , an hæc distinctione quicquam ad defendendam ipsius sententiam afferre possit, licet enim DD. ad eandem fundandam L. 1. §. 10. & L. final. ff. de excitoria actione. allegent, & ex iisdem appereat, hanc distinctionem in casu, quando quis magistro ad refectionem navis sciens vel deceptus majorem summam credidit, ab obligatione tamen exercitoris ex contractu magistri sui oriente, ad præsentem casum , ubi de creditorum, nullo vinculo , majorem summam ad refectionem credenti obligatorum, præjudicio agitur , male & sine assensu juris concluditur. Creditores enim, cum, in quantum in communem pignoris causam versum, in tantum alterum praierri, pati teneantur, arg. L. 5. & 6. ff. qui potior in Pign. & dolus, cuique suus non vero alteri nocere debeat , ideo quidem verum, debitorem communem principalem quoad totam vere, creditores vero non nisi ad utiliter versam sumam, hic quasi obligatos esse.

§. 41 Tandem illam quæstionem tangere allubescit, an creditor usuras ex post facto stipulando, privilegio sibi competenti præjudicet, siquidem constat, alia quoque privilegiata credita stipulando usuras amitti. vid Carpz. P. I. Conf. 28. D. 33, & 59. ex quibus dicendum videtur, & in hoc casu per usuram exactiōnū , creditorem materia, sibi præjudicare. Rationem hujus si à Doctoribus queramus, hanc quidem dare consueverunt, quod scil. per usurarum exactiōnem & subsequitam alterius promissionem genus crediti privilegiati , in aliud & quidem simplicem mutui contractum , transmutetur. Porro argumentum deducunt ex L. 7. §. 2. ff. depositi & L. 24. §. 2. ff. de R. A. J. E: Ex quibus apparet, in casu concurrentium plurium pecuniam deponentium, primariam rationem habendam

bendam esse eorum, qui pecunia<sup>z</sup> usum haud concessere, iisque sic præferendos, qui usurarum, pro usū pecunia<sup>z</sup>, acceptione depositi naturam in mutuum convertunt & sic iuribus depositarum rerum privilegiatis renunciaisse censentur.

§. 42. Verum tanti hæc non sunt, si judiciorum obseruantia vel lex provincialis non obstat, quo minus contrarium meliori jure defendi possit. Nam quod LL. obstantes attinet, id, quod debent haud probant, siquidem ex & omnes iis conformes, veterum jurisconsultorum sapientia prudentiam, secundum quam novatio intercessisse ex nudis conjecturis præsumebatur, & sic jus in prima obligatione quæsitum tollebat. Ast vero cum, vetus hæc J<sup>c</sup>torum de novationibus philosophandi ratio per Imperatorem, in L. ult. *Cod. de Novatione & delega.* penitus sublata, & ita in ea sanctum sit, quod licet priori obligationi, nova superinducta, per hanc tamen, jura in illa quæsita, non auferri, sed potius incrementum accipere, nisi in posteriori expressum, quod prioribus derogatum esse debeat, ita argumenta ex LL. obstantibus desumpta evanescent; *Conferatus Brunnem. ad d. L. 7. ff. Depositis n. 7. & seqq.* Idque multo magis, quia ex L. 52. §. 10. ff pro Socio, apparet, socium socii insulæ partem restituentem usuras cum forte petere & exigendi privilegio, si ipsius interficit, uti posse, utpote quod, si usuræ creditis privilegiatis plane adverarentur, fieri non potuisse.

§. 43. Interim autem non ea est mens, ex spho prædicti conjicienda, quasi creditor, usuras ob moram insolutione fortis admissam, stipulans, tam propter usuras quam ipsam sortem tacito pignore & pratalione gaudeat, siquidem ex superiori jamjam dictis appareat, prærogativam in concursu creditorum in tantum solummodo concedendam esse, in quantum vere & actualiter est versum, quapropter quod usuras attinet, inter chyrographarios tantum referendus, & secundum jura cuiusvis loci particularia, quoad usuras in concursu adjudicandas variantia, judicandus est. vid. *Brunneman. in Process. Concurs. Cred. c. 1. §. 8. n. 2. & C. 5. §. 2. n. 4. Ibiique Strykius.*

E

§. 44.

§ 44 Hisce tandem calatum in hoc studiorum genere haud satis exercitatum, acquiescere jubeo, finemque iis impono quæ de tacita cum prælatione hypotheca, iis qui materiam sive tignum ad ædes reficiendas, restituendas, adficandasque crediderunt concessa, deducere volui, & quamvis nonnullam spem mihi fovere liceat, argumenta, quæ pro defendenda hac sententia mea formavi, ad justificandam intentionem sufficiencia esse posse, dubito tamen, an methodi stylique simplicitas, admissaq; ex in curia & festinatione vitia typographica, facilem apud te benebole Lector, excusationem merebuntur. Si vero tanquam bonus judex, non minus pro me condemnando quam liberando, laborare intendis, audias, quas hic vides paginas, a me, inclytam hanc Erfurtensum Universitatem transiente, iterque faciente, & sic sufficienti librorum apparatu, aliorumque quos implorare destiti, consilio atque opera destituto, manu domum properante, conscriptas esse, & sic festinationem in causa fuisse, quare hinc inde invenies admissa typographi vitia. Annotavi quædam eorum in fine, sed ipse conjicio festinationem, ubique fere nocivam, non omnia observasse. Quod si vero neque hæc ad me excusandum tibi sufficiunt, scias, leges, secundum Baldum, in Consilii suis ab Heringio in *Tract. de fidei-jussoribus cap. 2. n. 1.* allegatum, Prisciano non subjacere, illumque qui ad juris consulti titulum adspirat, diligenter expendere, debere ne magis Grammaticum, quam Jureconsultum agere videatur. Sive ergo incuriam sive festinationem reprehendas, mihi rem tetigisse sufficiet, & dum levia, quæ dixi, esse, meliorique industria, si festinatio defuisset, elaborari potuisse, ipse profiteor, frustra irasceris aut ridebis, levia esse quæ dixi, mihi objicendo. Interim vale, ego vero ter optimo maximoque DEO pro viribus haec tenus concessis, debitas per solvō grates, totoque corde exopto! velit studia mea semper dirigere ita, ut ipsius benignissimi numinis honor, proximi commodum, propriaque & quidem vera salus, mihi perpetuus eorum sit maneatque.

F I N I S

## COROLARIA.

### I.

**I**N sequestrem, qua talem, exemplo cuiuslibet depositarii, neque dominium neque possessio rei sequestratae, regulariter transferatur, licet *L. 17. ff.* depositi contrarium docere videatur.

### II.

Fundus pecunia dotali comparatus, pro dotali omnino habendus est, non obſt. *L. 12. C. de Jure dotium.*

### III.

Pecunia cambialis à remittente, trassanti ea lege data, ut alibi alia pro ea solvatur, si jura particularia aliud non suadeant, sive extet sive non, in concursu creditorum nullo privilegio gaudet.

Cor-

## CORRIGENDA:

§. I. Invenies, permittit, §. 13. credere & apodictive, §. 15. L. agit. Intellexus, §. 21. subministranda, §. 23. Mogdeb. §. 24. Mcv. P. 5. D. 85. §. 39. lucem intenebris. §. 34. ordine & §. 38. definiere, in quorum convenientia loca, permituit, credere, apodictice, L. Aquil. intellectus, subministrandas, Megdeb. Atb. P. 5. dec. 84. tenebras in luce, ordine, & tandem definiere, substituens de paterisque ex aquo & bono judicare rego.



Erfurt, Diss., 1717



3


f

IA→OC

nur 2 u. 4 bisher verknüpft



B.I.G.



1717, 8

9

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>R</sup>ALIS  
JURIDICA  
DE  
**JURE TIGNI**  
**IN CONCURSU**  
**CREDITORUM,**  
SIVE  
**Von dem Rechte der Bau-MATE-**  
**RIALien bey entstandenen CONCURS,**  
QVAM  
**NUMINE DIVINO FAVENTE,**  
**CONSENSU ET DECRETO**  
**AMPLISSIMÆ FACULTATIS**  
**JURIDICÆ,**  
**IN ILLUSTRI ET PERANTIQUA ELECTORALI**  
**UNIVERSITATE ERFURTensi,**  
**PRO LICENTIA**  
**SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA**  
**RITE CONSEQUENDI,**  
**IN COLLEGIO JCTORUM MAJORI**  
**HORIS CONSVENTIS,**  
**DIE III. APRILIS MDCCXVII.**  
**PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI**  
**SUBJICIT**  
**JOHANN. MICHAEL KLIPSCH, HALL. MAGD.**  
**AUTOR ET RESPONDENS.**

ERFORDIAE,  
LITERIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPEGR.

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE